

Q. N. 379, 7.

Q. F. F. Q. S.

II R  
5310

DISSERTATIO  
DE  
INDIGENATU  
POLONIAE,

Quam

Superiorum Indultu,  
LIPSIÆ,

d. XXII. Junii An. M DC XCVIII.

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ATQVE PRÆCELLENTISSIMO  
DOMINO

M. JOH. Gottlieb Meißner /

Schol. Senat. ad D. Nicol.

Rect.


Fautore atqve Præceptore  
suo ætatem colendo,

Eruditorum disquisitioni submittit

A. & R.

Johann Friedrich Dommel /  
Lipsiensis.

H. L. Q. C.



LIPSIÆ,

Literis Christiani Scholvini.

2

39

339.

(X 187 7889)

Q. 2.



INDIGENATA  
POLONIAE

Supplicium Indulgentiarum  
LIPSIÆ  
d. XII. Junii. An. M. DC. XXVII.

FRANCISCO  
MIRRO VORLESUNG



Fabrice ardus Piscopos  
Erdbeben

Spann

M. A. C.

Licentia



# PROOEMIUM.

## I.



**I**lustres ab Indigenatu prerogativas esse, dignumque adeo argumentum, quod sub incudem vocetur, vel inde put o constare, quod multi magno conatu elaborarint, ut hujus vel istius loci Cives evaderent. Apud Hebraeos certe qui Profelyti Justitiae seu Abrahamidae fieri nequibant, jura saltem Profelytorum Domicilii seu Noachidarum summa ambierunt opera. 1.) De Graecis & Romanis res in aprico est. Sic in Brabantiam & Arragoniam & vicinis tractibus pariturae se conferebant mulieres, ut filiis ex se natis ditionum istarum immunitates conciliarent. 2.) Ipse Eduardus I. Britanniae Rex, Uxorem mox enixuram in Walliam transferri curavit, ut soboli in lucem edenda Wallicum Indigenatus jus pariendo daret. 3.) Et domi habitare i. e. propiora inspicere exempla possemus, si quis de re in vulgus notissima vellet ambigere.

1. Selden. de Synedr. Ebraor. Lib. I. c. 3.
2. Strada de Bell. Belg. Dec. I. Lib. 2. It. Marian. in Hist. Hisp. Lib. III.
3. David Powelin Addit. ad Histor. Wall. & ex eo Arnif. Lib. I. de Rep. c. 5. §. 10.

## II.

Origo vocis Indigenatus seu Indigenae ab endo s. indo & geno, quod gigno hodie effertur, est: quasi dicas indo vel inde genitus, b. e. in eo loco, quem quis incolit, natus. Sic Lucanus populos indigenas eingesessene Völcker / 1.) Plinius indigenam vinum Land-Wein 2.) & Ammianus Marcellinus indigenas



genas vires i. e. loco illi proprias dixit. 3.) Adde quod non Indigetes, sed Indigenas Deos nonnulli legant, quod soli illi subaudiuntur, qui à Romanis in Deorum numerum allecti fuerunt 4.)

1. Lucan. II. v. 432.

2. Plin. XIV. c. 6.

3. Marcell. Lib. 14.

4. Laurent. Polymath. Lib. I. Dissert. 49. it. Martin. Lexic. sub voce Indiges.

### III.

Alio nomine Indigenæ Originarii, Originales, 1.) Aborigines (licet ad Italiae quandam gentem appellatio ea proprie spectavit,) Naturales, Nati (quæ tamen vox in negotiis publicis, alio fere sensu, v. g. Legatis, Cancellariis, Sacellanis, tribuitur) vocantur. Græcis Indigena ἀπόχθον, & Germanis nobis ein Eingeborner / Erbgesessener / Einheimischer dici consuevit. Polonos verba Ziemiannin / Domowin / Osiadly adhibere, quoties designare hominem indigenam volunt, ex aliis habemus compertum.

1. Ortel. Thesaur. Geogr. Voc. Aborigines.

### IV.

Et ad hanc potissimum Gentem respiciendum nobis erit, utpote qui de POLONIÆ INDIGENATU agere instituimus. Adduxere nos partim Temporum presentium ratio, partim mores huic populo recepti, cui prius nihil, nihil antiquius hoc ipso jure habetur. Ex eo enim cetera privilegia, immunitatesque omnes, quas gens atavæ libertati innutrita ad extremum vite habitum defendit, tanquam ex primo fonte suo videntur promanare.

### V.

Ut vero Dissertationis hujus peripheriæ centrum aliquod statuamus, POLONIÆ INDIGENATUM ita circumscribemus. Est ille prærogativa quædam eorum, quos vel Nativitas vel Naturalisatio jurium Reipublicæ Polonæ capaces reddit.

CAPUT

CAPUT I.  
de iis,  
IN QVOS POLONIAE INDI-  
GENATUS CADIT.

**M**ultas dari Respublicas, quæ peregrinos promiscuè admittunt, eosque nullo habito selectu, Indigenatus jure donant, inter omnes credo constare. Sic Theseus exteris omnibus proposita civitate id effecit, ut Athenæ totius Græciæ clarissima urbs evaderet. 1.) Alexander cum urbem à se denominatam ad ostia Nili excitasset, non alia ratione amplitudinem eam, easque opes ipsi comparavit, quam præmia spondendo iis, qui ex vicinis gentibus incolere eandem vellent. 2.) Romani Græcia ejectos, quod ex uno saltem Parente Grajo prognati erant; & Afri Judæos ex Hispania pulsos nihil cunctati receperunt. Idem testantur Burdigala, & Portus à Gratia dictus, urbes Gallicæ, quæ concessa per Reges immunitate, dispensatisque in externos quoque privilegiis, tanta mox incrementa ceperunt. 3.) Ipsa, quæ una omnium maxime floret, Batavia potentia illud fastigium non affecuta esset, nisi ad Civitatis suæ jura quoscunque externos, prodiga quadam facilitate, admisisset.

1. *Plutarch. in Theseo.*

2. *Joseph. Lib. III. de Bell. Judaic.*

3. *Bodin. de Rep. Lib. I. c. 6.*

II.

Sed aliter id Polonorum moribus fieri solet, qui, quod Pacta Conventa Regum recentiorum fere omnium loquuntur, Rep. sua exesse, i. e. spem omnem publica

adeundi munia exuere peregrinos jubent. Confirmatum id primum in Comitibus Jedlinensibus & Warsaviensibus fuit, quod ex Cromero 1.) atque Fredrone 2.) discimus. Hinc si quo alio in loco, certe in Polonia, Indigenatus jura magni putantur, nec Genti avitis legibus tam obnoxia facile persuadeas, ut à consuetudine isthac veltatum unguem recedat.

1. Cromer. Lib. XIX.

2. Fredr. de Gest. Pol. sub Henr. p. 81. confer. Piasec. ad Ann. 1598. p. 186. it. Januszov. Lib. III. Constit. Part. 5.

### III.

Soli itaque Indigenæ apti hic habentur, quibus cura Reip. demandetur, quique municipes evadant, sive abusive sumatur vocabulum illud, pro suis cujusque Reip. civibus, sive significatu apud Romanos recepto. Hi enim municipes dicebant eos, qui in Romanam civitatem admissi munerum participes fiebant. Nam apud Polonos quoque, uti apud cæteros populos plerosque, Indigenatus duplici ratione obtinetur: *Nativitate & Naturalisatione*, quæ posterior Nativitas Civilis seu Ficta vulgo dicitur.

1. Lib. I. ff. ad municipal.

### IV.

Ad *Nativitatem Veram* quod attinet, ante omnia notandum: nec ipsos quidem Polonos ex æquo de jure isto participare. Nam licet populari sensu omnes ii, qui intra Poloniæ fines in lucem editi sunt, Indigenæ vocari possunt: Civili tamen acceptione vocis isti saltem Indigenæ audiunt, qui Reipublicæ jurium sunt capaces. Distinguendum igitur puto inter Indigenas Regi Reique publicæ mediate vel immediate subjectos. Illi potiore parte Nobilibus Poloniæ parent, iisque demum mediantibus à Rep. dependent: pari itaque jure cum Dominis suis gaudere nequaquam possunt.

V. Patet

Patet inde quod plebeji seu rustici, quos Kmetones vulgo vocant, excludantur, indigni scilicet visi, qui ex infima homuncionum fæce orti, gubernaculo regni manus admoveant. Sic removentur quoque cives speciatim ita dicti, qui in urbibus habitant, & inter Ordines & Status Reipubl. quòd indigenæ non sunt, nunquam referuntur. 1.) De iis qui speciali indultu excipiuntur, infra videbimus.

1. Hartkn. Lib. II. de Rep. Pol. c. I. p. 227.

## VI.

Porro nemini restat dubium, quin Spurii, ex Indigenis licet Polonis nati, hæreditate Bonorum Terrestrium, adeoque juribus indigenatus excidant. Inde & gravis in eos pœna constituta est, qui Nobilem ex legitimo prognatum thoro, meretricis filium, aut Matrem ipsius meretricem vocant. Sexaginta enim Marcas grossorum solvere, publiceque, adhibita solemnibus formula: *Id quod sum locutus, mentitus sum sicut canis*, revocare tenentur 1.)

1. Job. Herburt. de Fulstin. Statut. Regn. Pol. p. 274. Tit. Nobilitas.

## VII.

Imo excluduntur Nobiles multi, nulla adspersi gentis aut generationis macula, ii nimirum, qui Bona Terrestraria, quæ dicunt, nulla possident. Et facile assequi conjectura licet, quare impossessionatos illos à munerum receptione arceant. Cum enim ea Nobilium Sarmatarum libertas sit, ut ad capitis supplicium ægre abstrahantur, alio certe vinculo Reipublicæ innexos eos esse oportet. Nec datur, si à vitæ & famæ periculo discesseris, firminus aliquod aut validius, quàm Bonorum illorum Terrestrium possessio, quibus privari possunt ii, qui mandato munere non ea, qua decet, fide functi fuere.

## VIII. Sic

Sic & illud memoratu dignum, quod ad superiores Districtus alicujus seu Satrapiae dignitates nemo Nobilium admittatur, nisi in eo ipso tractu terrestria bona possideat. Edocemur illud inter alia exemplo Ottonis Pilecii, qui a Ludovico Hungaro ad Palatinum Califfensem evehebatur. Male enim id, teste Cromero, Polonos majores habuit, ita, ut parere Ottoni, quamvis & genere & virtute praestanti detrectarent. Causa vero unica denegati obsequii fuit, quod nullas is haberet possessiones in Majore Polonia, atque ita contra leges praefecturam obtineret. 1.)

1.) Cromerus de Orig. & Reb. Gest. Pol. Lib. XIII.

## IX.

Ipforum Principum, qui ad clavum imperii sedent, fratres, filii, nepotes &c. quamdiu in vivis adhuc Rex est, spe potiundi Dignitatum publicarum per leges Poloniae destituuntur. Nam illud jam olim promisit anno 1374. Ludovicus Rex, confirmaruntque postea A. 1433. Vladislaus Jagello, aliique, qui eos in imperio exceperunt. 1.) Hinc Piascius Sigismundum III. Episcopatum Warmiensem Johanni Alberto filio contulisse contra leges Regni scribit, utpote quae a Senatoriis Dignitatibus & Magistratibus arcerent illustri & Regio sanguine natos. 2.) Quod si autem contingat, ut consensu omnium Ordinum consanguineis Regis v.g. Episcopatus conferatur, jurare is necesse habet, se Episcopatum eodem jure possessurum, quo illum possedissent alii ante se Episcopi &c.

1. Fredr. in Hist. Henric. p. 230.

2. Piasec. ad Ann. 1624. p. 368.

## X.

His praelibatis definitivam tandem sententiam ferimus: sc. in solos Nobiles Poloniae, eosque possessionatos  
Indi-



Indigenatū gentis istius proprie cadere. Nec obstat, quod §. 8. 9. excluderimus aliquos, qui venire aliās in hunc censum videntur. Nam priores illos non in totum arce- mus, sed quatenus Terrarum istarum dignitates ambi- unt, in quibus nulla obtinuerunt bona terrestria, adeo- que Poloniæ quidem, non vero v. g. Poloniæ Majoris, Masoviæ &c. indigenæ habendi sunt. Posteriores quod concernit, illi ad possessionem istiusmodi bonorum non admittuntur, verentibus Polonis, ne opibus & viribus elati, Libertati Reip. insidias struant. Destituti igitur sub- sidiis istis, nec Indigenæ proprie dicuntur, nec ad Senato- rias ipsis dignitates accessus patet.

### XI.

Huic assertioni nostræ ut fidem faciamus, necesse est, ut, cui fundamento innitamur, edisseramus prius. Scilicet soli Nobiles in Polonia Bona Terrestria, h. e. villas, prædia agrosque extra urbes possidere possunt. Nam per Constitut. Johannis Alberti de Anno 1496. Sigis- mundi Senioris de Anno 1538. Sigismundi Augusti de Anno 1550. homines plebeji in oppidis & urbibus Poloniæ & M. Duc. Lithuaniae habitantes, ut & Urbes ipsæ Bona Terrestria aut hæreditario aut obligatorio modo acqui- rere prohibentur 1.) Addita huic Constitutioni sub Si- gismundo III. clausula pœnalis, ut si quis plebejus aut urbs aliqua contra hoc edictum bona sibi terrestria com- paret; eo ipso bonorum istorum jacturam faciat. 2.)

1. Januszov. Lib. VIII. Constit. P. II. p. 103.

2. Constitut. d. An. 1611. p. 14.

### XII.

Hinc sequitur, quod soli Nobilitati ad Officia publi- ca. h. e. ad Dignitates Ecclesiasticas pariter ac Seculares adspirare liceat. Nam cum nemo nisi possessionatus ad honoris illud culmen eniti possit, nemo vero possessiones

B

acqui-

acquirere debeat præter Nobiles, facile erit colligere, uni Nobilitati indigenatus illa privilegia, illasque prærogativas competere. Quænam vero sint ea jura, quamque late illa pateant, posteriori docebimus capite, cum in priori hocce de indigenis saltem sermo nobis habeatur.

### XIII.

Sed de Principibus, inquis, Comitibus, &c. qui magno numero in Polonia incolunt, quid sentiendum, cum solis Nobilibus Indigenatus vindicetur? Respondeo: & illi Polonicæ Nobilitati accensentur, cum summa Nobilium omnium in Polonia sit æqualitas. In isthoc enim Regno, *Hartknochio autore*, eò, quod quis Princeps, vel Comes vel Baro est, non plus juris habet, siue respectu suorum subditorum, siue etiam respectu aliorum Nobilium. Sed omnes Nobiles s. sint Principes s. Comites s. Barones, siue etiam titulis eis omnibus careant, inter se sunt æquales. *Adducit* in hanc rem citatus scriptor Lubomirscii verba, quibus se purgavit exprobrantibus: quod supra civilem æqualitatem extollere se animos sumpsisset. *Pergit*: Imo in ipsis Pactis Conventis promittunt Reges, quod velint omnes consanguineos collaterales eodem jure censere, quo cætera Nobilitas Polona censetur.

1. *Hartknoch. de Rep. Pol. Lib. II. c. 5. p. 580.*

2. *v. Pact. Convent. Johann. III.*

### XIV.

Melioris tamen Ordinis ergo non tam Poloni ipsi, (cujus rei ratio ex præcedentibus patet) quam alienigenæ Scriptores Nobilitatem Polonicam in Superiorem s. Majorem & Inferiorem seu Minorem dividerunt 1.) SUPERIOR est, quæ Reges aliosque summos Principes per gradus velut excipit, v. g. DUCUM, quales sunt Duces in Wismovvise Koributorum, Czatoryscii, Radzivillii &c. COMI-

COMITUM, quales olim Starzones ex Topororum familia, Magni Comites dicti, interjectis vero temporibus Tenczynii, Ostrorogii, Tarnovii &c. BARONUM, ab Imperatoribus sc. ad hunc dignitatis gradum evektorum (Nam Polonis generatim quondam regni Proceres Barones dicebantur) v. g. Liberi Barones in Sklovv & Bychovv &c. *INFERIORIS GRADUS* Nobiles sunt qui nullo alio titulo gaudent, 2.) & quorum tanta in Poloniis copia deprehenditur, ut, *teste Starovolscio*, unica Masovia quinque & quadraginta millia Equestrium Familiarum complexa sit. 3.) Ex quo satis claret, multos in Imperio illo Nobiles degere, qui possessiones nulla ratione acquirere possunt, & ita iurium indigenatus proprie dictorum minime capaces existant.

1. *Job. Nauclerus Generat. XLIII. p. 231.*

2. *Conf. Simon. Okolsk. Orbem Polon. it. Barthol. Paproki Stemmata Polon.*

3. *Starovolsc. Pol. p. 64. 65.*

#### XV.

Non excludendi tamen ab Indigenatu illi, qui Matre licet populari, Patre tamen Nobili sunt creati. Nam si Alexandri R. statutum admittimus, illi eodem jure censendi sunt cum cæteris Nobilibus, modo Parentes ipsorum & ipsimet vivant & vixerint ad instar aliorum Nobilium in regno, nec exercuerint eas artes & actiones, quas communiter cives, & qui in civitatibus morantur, exercere solent. 1.) Hos igitur, si possessiones acquisiverint, eodem quo cæteri indigenæ jure, ad Dignitates à Rep. concedi solitas emergere posse, nullus ambigo.

1. *Herburt. de Fulstin Statut. Regn. Pol. p. 274.*

#### XVI.

Singularia sunt (1.) quod Indigena Regni Polonici Candidatus Piaustus appelletur, petita denominatione à Piašto Crusvicensi, Polonorum quondam Du-

ce, totqve Regum & Ducum Polonicorum favore. 1.)  
 (II.) Quod Cracovia, Vilna & Leopoldis, urbes imperii  
 istius facile principes, per specialia privilegia juris Indi-  
 genatus bona terrestria acquirere, comitiisque interese,  
 & sua conferre symbola possint. 2.) (III.) quod omnes,  
 qui jus indigenatus Prussici habent, eô ipso Indigenæ Po-  
 loniæ sint, ibique bona terrestria possidere, & ad honores  
 promoveri possunt. Hinc Civitates Prussiæ Majores in  
 Electione Regia pari cum aliis Ordinibus utuntur jure: 3.)  
 Ad Comitata vero Generalia Delegatos mittere ipsæ detre-  
 ctant, quod nolunt admittere de Rep. sua alibi, quam in  
 Prussia consultari.

1. *Piasec. in Chron. p. 59.*

2. *v. Constitut. Anni 1611. it. 1676. p. 29.*

3. *v. Pact. incorp. p. 15. & 16. it. Privil. Sigismundi I. Anni 1530. it. Piasec. ad Anno. 1632.*

## XVII.

Hæc de Nativitate vera: Sequiturea, quam *Fictam*  
 vocavimus, quæque *Naturalisatio* vulgo audit. Hanc ex-  
 teris bene de Republ. merentibus offerri, vel ab iis quo-  
 que expeti, cujuscunque demum dignationis alibi loco-  
 rum sint, inter omnes puto constare. Cumque solis ferè  
 hominibus nobili profapia oriundis ea cedat, non video  
 quid objici possit, si & hic Nobilitatem in Superiorem &  
 Inferiorem dispescamus.

## XVIII.

*Superiori*, quæ nativitate civili seu Naturalisatione  
 Indigenatus Polonici jura consequitur, primo PRINCI-  
 PES accensemus. Sic ex Moscovia in Lithuaniam im-  
 migrarunt, rerumque suarum domicilium ibi consti-  
 tuerunt *Oginscii, Massalscii & Polubinscii*, qui se Knesios seu  
 Duces appellant. 1.) Quæsit & jus indigenatus, Pa-  
 trum nostrorum memoria, in Polonia *Franciscus Erdman-*

715

*nus Saxonie Dux*, receptusque publico diplomate fuit. Sed antequam hoc fieret, jurejurando Regi Reique publicæ fidem adstrinxit, velle se intra sexennii spatium in Poloniam se suaque conferre 2.) Idem Indigenatus jus 1658. *Henrico de Gordon, Marchioni Huntleo*, proxima cum Regibus Britanniarum cognatione juncto; & Anno 1676. *Stephano Petro, Palatino Moldaviæ* unâ cum Posteris suis concessum fuit. Promissa etiam huic sunt Bona ex primis vacantibus in Regno Poloniæ, quæ antequam consequeretur, quotannis viginti millia florenorum Polonicorum inde acciperet 3.) Sic superiori seculo in finum Civitatis Poloniæ recepti sunt *Andreas & Balthasar Batborei*, 4.) & sub nostri hujus seculi initium *Andreas Batboreus*, qui tamen titulo Ducum Poloniæ abstinuerunt.

1. *Okolsk. T. II. Orb. Pol. p. 43. & 218.*

2. *v. Constit. ejus anni p. 28. it. Vespas. a Kochow Kochowski Annal. Pol. Climat. I. p. 344.*

3. *Constit. ad hunc ann.*

4. *Constit. ad Ann. 1588. p. 485.*

## XIX.

Sequuntur COMITES, quorum haud exiguus numerus sedem in Polonias transtulit. Recensebimus aliquos ex Hartknoch, qui primo loco *Tarnovios* nominat, utpote qui circa Ann. 1100. in Poloniam devenerunt, & ab oppido Tarnovv, quod Spicimirus ex eadem gente ortus, condiderat, Comites in Tarnow dicti sunt. Succedunt hisce *Comites de Gora, Comites Boguri, Comites Goziembæ, Comites Zarembe, Comites de Bilatovv, Comites Manduce, Comit. de Brodi, Comit. de Wierzbna, Comit. Lariffæ, Com. Rogala de Biberstein, Com. de Slopie, Com. de Czarnkovv, Com. Uchanscii, Com. Cembocii, de Trombki, de Labiszin, de Gulczovv & de Szavvin*, qui ultimi sunt *Armorum Prawdzic, &c.*

Sed ex his aliqui in ipsa Polonia nati, & à Ducibus seu Regibus Pol. ad Dignitatem isthanc evecti creduntur.

1. *Hartkn. de Rep. Pol. Lib. 5. cap. cit. p. 576.*

## XX.

Pergimus ad BARONES, qui posthabita patria in Poloniam se contulerunt, ibique Indigenatum adepti sunt. Præ aliis vero nominandi veniunt ii, qui jam antea extra Polonias Baronum titulo claruerunt; quales fuere *Otto liber Baro de Schvverin, & Johannes Lib. Bar. ab Overbecke*, uterque Electori Brandenburgico à Consiliis Status intimis; i.) item *Georgius Lib. Bar. de Dorflinger* 2.)

1. *Constitut. A. 1658. p. 50.*

2. *Constitut. A. 1685. p. 21.*

## XXI.

*Inferiorem Polonia Nobilitatem* seu Indigenatum potius eum, qui in Nobiles Polonos speciatim sic dictos cadit, longe plures exterorum consequuntur. *Cochowski* eodem anno, quo *Fr. Hermannus S. D.* Indigena factus, *Christophori* quoque *Houvalti*, nobili domo è Suecia oriundi, Generalis Excubiarum sub Cæsareis signis, ut & *Nicolai Constantini Giffæ* Franconici, Prætoriae Legionis Protribuni mentionem facit, monetque, Indigenatus Polonici jura ipsis cessisse. Addit & *Scharugotschium*, sed qui in Comitum classe, quam §. 19. inspeximus, collocandus fuisset. i.)

1. *Cochowski Annal. Pol. Clim. I. p. 345.*

## XXII.

Quamvis autem in conferendo eo jure ad dignitatem personæ, egregiaque in Rempubl. merita respici plerumque solet: haud raro tamen accidere credo, ut indigni quoque beneficii hujus participes reddantur. Colligere hoc est ex verbis ejusdem, quem citavimus,

Co-

*Cochovvscii, qui proxime ab allatis supra exemplis ita in-  
fit: Itidem (scilicet admissus ad Indigenatum) Claudius  
Perpeffius Gallus, adnitente pro Conterraneis Regina magis,  
quam ex merito cooptatus. Invehitur inde in corruptos ævi  
istius mores: non ferendo, inquiens, ingenuæ genti opprobrio,  
ut quæ decora Majoribus virtute & sanguine steterè, suffra-  
giis privatorum, aut dispensatione Gynæcei partirentur. Ve-  
rum jam hic animorum habitus, aut personarum fors fuit, ut  
plectrum cytharædi, aut fusum lanificæ, hastati militis cuspi-  
di prævalerent. 1.)*

*1. v. Climacter. I. ad an. 1652. p. 345.*

### XXIII.

Cæterum quo loco Poloniarum Indigenæ habeantur, vel inde intelligi poterit, quod Poloni malint in patria sua Nobiles persistere, quam extra Regni fines vel Ducalem consequi Dignitatem. Contra vicinarum Gentium Principes Indigenatum Poloniæ summa sæpius opera ambiunt, non obstante, quod privilegia ea cum Nobili quocunque Nationis istius communia habere eos oporteat. Rem distinctius proponemus.

### XXIV.

Honores externos quantumvis maximos Poloni spernunt. Patet illud exemplo eorum, qui Sigismundum Seniore in Polonia in Hungariam, & inde in aulam Cæsaream secuti fuerunt. His Maximilianus Imp. dignissima benevolentia testimonia obtulisse se credebat, si Senatoribus primi Ordinis Ducales; Comitum vero titulos secundæ classis Proceribus indulgisset. Sed responsum Imperatori: *Polonos gratias habere Cæsareæ Majestati pro eo animo, quod sibi offerret, quæ dignissima dari secum pensaret. Cæterum Nobilitate Patriæ contentos se vel-  
le vivere, abunde sibi ornamentorum & honorum Regem suum & Rempubl. conferre. 1.)* Eadem de causa Zamosci-

*us,*

us, fulgidissimum olim Poloniae sidus, *Firlejus, Sapielha* aliiqve oblatos sibi ab Imperatoribus honorum titulos recusarunt; multi etiam v. g. *Minscii, Tenczynii &c.* admissos primùm postea deposuerunt. 2.)

1. *Fredr. in Hist. Henr. p. 75. seq.*

2. *Hartkn. Lib. cit. c. 5. p. 578. seqq.*

## XXV.

Ex adverso multi Exterorum Indigenatus atqve adeo Nobilitatis Polonicae jura expetunt. Et digna sane res fuit, quam ipse *Cochovvski*, Scriptorum Polonorum, quod ego quidem noverim, recentissimus miratur. Ex quo enim ad A. 1652. animadverterat, Fr. Herm. commemoratum supra Sax. Ducem, rebus Poloniae afflictissimis, Nobilitatis Indigenatusqve jus consecutum esse, in hæc tandem verba prorumpit: *Quis crederet, adeo calamitosam Poloniam, à tantis municipibus ex ambitam? & cujus multifariam afflicta salus, ut in ejus decora adscribi externi satagerent. Belligerante olim (inquit) in Italia Pirrho, quod locus, quem castris hostis infederat, emptorem invenisset, prodigii locum meruit; magis mirum, cladibus, peste, externorum conspiratione agitata Polonia; repertos nihilominus, qui veterem patriam abdicando, Regno undecunqve afflicto incorporari præoptarent. Quæ sequuntur, duriuscule in Principes nostros, quos Germaniæ Regulos vocat, videntur dicta. &c.*

v. *Lib. sep. cit. p. 344.*

## CAPUT II.

*De*

## JURIBUS, QUÆ CADUNT IN POLONIÆ INDIGENAS.

I.

**D**iximus de Subjecto, quod capax est recipiendi Indigenatum Poloniae; sequitur Forma, quæ consistit  
in



in ipsis juribus seu privilegiis, quibus gaudere præ cæteris Poloni Indigenæ solent. Duplicis vero generis eadem esse arbitror: exerunt enim sese vel in concessione Bonorum, vel in Malorum remotione s. exemptione ab oneribus.

## II.

Bona quæ conceduntur, vel publicam respiciunt Rem, vel privatam seu familiarem concernunt. Utrunque insignes prærogativæ in Cives, de quibus egimus, Poloniarum redundant, quas curatius nunc libet inspicere.

## III.

Inter illa Bona, quæ *Publica* dixeris, eò, quod in Republ. ad communem patriæ salutem obtinentur, primo loco nominandum id, quod Indigenis hujus gentis ad Dignitates quasvis liber pateat aditus. Sunt vero eæ longe maximæ & verè illustres in Polonia, atque in Ecclesiasticas & Seculares vulgo dispescuntur.

## IV.

Ad *Seculares* quod attinet, inter eas ipsum Regiæ Majestatis culmen eminent, à quo nemo Nobilium Indigenarum per jura Regni arcetur, quin potius cuilibet eorum, si liberis Fratrum suffragiis eligatur, eniti ad hunc honoris apicem fas est. Probatur id exemplo Sereniss. JOHANNIS III. defuncti haud ita pridem P. R. qui inter Majores suos non nisi Nobiles numeravit. 1.) Probatur item Johannis Zamoscii verbis, quæ habentur in epistola ejus ad Carolum Sudermannia Ducem: *Quod scribis, ait ille, de Genere, eò par sum omnibus Nobilibus, vel ex quibus Reges sunt prognati: Et ita honestissime natus, ut quisvis Regum honestissime 2.)*

1. Hartkn. de Rep. Lib. II. p. 630.

2. Reinhold. Heidenstein Lib. XII. Rer. Pol. p. 383. a.

## C

## V. Inci-

## V.

Incidimus hic in nobilem controversiam, quã autores inter se contendunt: *num Lege publica cautum sit, ne quis Piaſtus ſuccedat.* Primus errorem iſtum in vulgus ſparſiſſe *Bodinus, Gallus* videtur, cui uſu receptum erat, de aliis gentibus ea pronuntiare, quæ minime omnium comper- ta habebat. 1.) Haufit ex eo ſphalma hoc historicum perſonatus *Marinius*, qui Piaſtum legibus à Regno exclu- di confidenter nimis aſſeruit. 2.) Ipi Lithuani, cum poſt fata MICHAELIS Reg. Indigenas præteriri mallent, lo- cum nescio cuius Historici produxerunt, qui de Interre- gno agens: *Excluſis Piaſtis dicta ſunt pro Externis ſententiæ,* 3.) edifferuiſſet.

1. *Bodin. de Rep. Lib. V. c. 5.*

2. *Franciſc. Marinius de Scop. Reip. Pol. c. IV.*

3. *Hartkn. Lib. cit. p. 290.*

## VI.

Sed taceo jam locum illum, ex incerto deprom- ptum Autore, ſuppoſititium forte fuiſſe: id certe per ſe cuivis patebit, quod non de eo, quid fieri potuerit; ſed quid factum ſit, verba accipienda. Non enim *dicende,* inquit, ſed *dicta ſunt* pro externis ſententiæ. Accedit quod MICHAELIS & JOHANNIS, de quo mentio jam- jam facta, Regum exempla citari in contrarium queant; quodque in Interregnis plerumq; inter Candidatos, No- biles Poloni reperiantur, id quod minime expectandum foret, ſi per Legem publicam ſpe potiundi rerum illi ex- cluderentur.

## VII.

Nullò igitur negotio liſ ea dirimitur: aſt altioris indagnis quæſtio eſt: *Utrum Reip. Polonorum conducat, In- digene ſeu Piaſto rerum tradere ſummam, an præſtet in alieni- genam imperium transferre?* Poſterius qui probant, ſe- quen-

quentibus fere nituntur rationibus. I. Invidiæ ortisque inde innumeris turbis locum fieri, si quis inter pares subito in id fastigium extollatur, ut cæteris omnibus imperare possit. Citant in hanc rem *Taciti* Politicorum Principis, verba: *Hæc, inquentis, insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem agris oculis introspicere, modumque fortune à nullis magis exigere, quam quos in equo videre &c. i.)* II. Periculum esse, ne Familia Regia appetere majora incipiat, & si per Leges Reipubl. non liceat, clandestinis tamen artibus supra sortem cæterorum Nobilium efferre semet labore. Spectat huc *Fredronis* effatum, quod, cum imprimis faciat ad fulciendam eorum sententiam, qui Indigenas exclusos malunt, adscribere hic lubet: *Sumite, inquit, Reges Incolas, tunc uno velut ictu tollitis non superbam equalitatem; pro ea fastum, ambitionem, paucorum dominatum, vana Nobilitatis nominaq; inducetis. Hic Regis frater, alter avunculus, ille nepos &c. speciosa hæc sunt, credite mihi, nomina & tituli &c. III.* Verendum, ne libertas Polonorum, in Regum Electione maxime conspicua, subvertatur. Id enim alterum malorum esse laudatus *Fredro* dicit, quod ab Indigena Rege expectandum, sc. portentosam nimis potentiam, eligendi libertati iniquam. IV. Electionem Exterorum plus utilitatis afferre Reipubl. quam si Indigena Rex salutetur. Constare illud inde, quod inter Candidatos Regni, quò quis plura Reipubl. commoda offerat, tantò certiore adipiscendi imperii spem possit concipere. Et magna quidem ab exteris Regibus incrementa Poloniam cepisse, vel solis *Uladislai Jagellonis & Sigismundi Augusti* exemplis posse comprobari. Hoc enim Reipubl. gubernaculum tenente *Livoniam*; sub illius autem fascibus *Lithuaniam* cum *Samogitia* *Poloniæ* unita fuisse, V. Indigenas inde à

C 2

Sigis-

62 XI

Sigismundi Augusti temporibus majus Reipublicæ damnum contraxisse, quàm alienigenas omnes, excepto Henrico Valesio, in patrium paucorum mensium intervallo regnum reverso. Et sane de Michaelē Wisniewiezki dubio res caret, de JOHANNE vero non facile adducor, ut credam, quicquid vel ipsi Poloni de Rege hoc Indigena emanare in vulgus passi sæpe fuerunt.

1. Tacit. Lib. II. Histor. c. 20.

2. Fredr. Histor. Henr. p. 94.

3. Fr. Marin. de Scop. Reip. Pol. Cap. IV. p. 80.

### VIII.

In hos autem, qui talia proponunt, multum *Forstnerus*, 1.) quin & ipse *Piascius* 2.) debacchantur, cui posteriori *Hartknochius*, 3.) itemque *Becmannus* 4.) calculum adjicere suum nulli dubitant. Causas, quæ induxerunt eos, ut contrariam hanc thesin irent adstructum, ex *Hartkn.* petemus, qui sequenti sciagraphia eas ob oculos nobis ponit: I. Deus ipse Judæis mandavit: *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus, Deut. XVII, 15.* II. Bruta quoque à dispare non reguntur. III. Indicium est nimis abjectorum ingeniorum non admittere è gente sua, qui regnare possit. IV. In Germania incola eligitur Imperator, neque in aliis Regnis alius est mos. V. *Piaustus* morum Polonicorum maxime gnarus est. VI. Ejusdem potior erga patriam fides. VII. Exteri in Polonia à Magistratibus & Dignitatibus excluduntur, quidni etiam à Regno.

1. *Forstner*, in Not. ad Tacit. Annal. Lib. II. in princip.

2. *Piasec.* in Chron. p. 59.

confer. Censur. Candidat. (cujus autor *Andreas Olszowski*, Episcop. Culmens. postea Archi-Episcop. Gnesnens.)

3. *Hartkn.* Lib. cit. p. 287. seq.

4. *Becm.* Histor. Orbis Cap. XII. p. 686.

IX. Sed

Sed regeri forte ad singula non nihil posset. v. g. I. A Populo Judaico, qui Idololatriis circum circa septus erat, ad Polonos Christianis undique cinctos non procedit sequela: nisi concludere quis vellet: E. Poloni non Turcæ aut homini ex Tartaria Majore prodeunti imperium in se permittant. II. Bruta voluntatis non habent usum, inde proprie de iis dici nequit, quod vel sibi ipsis imperent, vel alterius speciei animantes ab hoc regimine excludant. III. Non abjectorum sed elatiorum animorum esse signum reputo, quod Poloni Regio potius sanguine oriundis, quam Nobilibus & sibi quondam paribus subesse malint. IV. Aliorum imperiorum alia esse conditio solet, & recte hic Marinius ad peculiarem eligendi Reges apud Polonos rationem provocat, utpote distinctissimam à forma regnorum, quos vocat, tyrannicorum. i.) V. Purpuratos omnes Indigenas esse oportet, nec inconsultis iis Rex quicquam moliri in Republ. debet: hinc nullibi minus, quam in Poloniis credo requiri posse, ut sub auspicia statim imperii Gentis istius mores Rex perspectos habeat. VI. De majori Indigenarum fide ambigo, eorum intuitus exempla, qui sive Reges sive Duces Indigenæ, multo liberius quondam Polonis imperitarunt. Accedit, quod exempla prostant, quibus probari forte posset, eadem, pene dixissem, avidiori cupiditate, quam externos, Indigenas absolutæ potestati olim inhiasse. Sic Hispanis, Gallis, Danis, Suecis &c. non nisi Indigenæ Reges, immunitates illas, illamque libertatem, quam ante hæc tempora obtinuerunt, præsciderunt. In Polonia autem, quis de Jagellonis, quis de Sigismundi III. quis de Uladislai IV. aliorumque fide dubitavit unquam? Una Anglia satis hodie

die nos edocet, melius consultum esse Religioni Re-  
gionique Britannorum sub Wilhelmo alienigena,  
quam quidem sub Jacobo, licet in ipso almæ hujus ma-  
tris gremio natus hicce atque enutritus fuerit. VII. Non  
sequitur: Exteri à Magistratibus & Dignitatibus regni  
arcentur, E. a Regno ipso, cum satis supra demonstra-  
tum sit, quæ commoda in Remp. redundant, si alienige-  
na; quæque mala eandem obruant, si incola rerum po-  
tiatur.

### X.

Ea autem, quæ jam protulimus, non istum in finem  
disputantur, quasi nulla ratione Indigena Polonus con-  
scendere thronum regiam possit, aut lege publica inde  
excluderetur: id enim §. 6. Ildi hujus capituli ipsi asse-  
ruimus. Nec audire omnino Fredronem detrectamus,  
qui suppositis certis conditionibus admitti incolam  
posse, ita ut nihil vel parum detrimenti Respubl. inde ca-  
piat, demonstravit. Scilicet *si successor, inquit ille, sceptri  
nunquam ex eodem Stemmate eligeretur, sed novorum semper  
nominum Rex & sanguinis quæreretur, quo ambiret inter plu-  
res Familias dignitas Regia: ad extinguendum unius domus  
ambitum præclusa spe, aliquo modo Regem incolam admitti posse.  
Porro si Regum nati non uterentur Principis titulo, avitæ domus  
stemmate & nominibus contenti, quo redigerentur in ordinem,  
& condiscerent equalitatem. I.)*

1. Fredr. in fragment, Pol. c. 10.

### XI.

De cæterore rem iis decidendam relinquimus, qui pe-  
nitius arcana Disciplinæ Politicæ inspexere, rerumque  
usu tot seculorum decursu firmato sufficienter edocti  
sunt. Nos sane, si quid judicare valemus, magis è re Po-  
lonorum fore confidimus, si ad alienigenam fasces impe-  
rii

rii transmittant. Sit Exterus, & omnibus malis istis, quæ ex electione Piaſti provenire jam ostendimus, primæ obſtruentur viæ; Sit illustrium Natalium, & fervabitur inter Polonos Nobiles æqualitas, paratumque erit in auspiciatæ æmulationi remedium; Sit cum ipsis Poloniæ Regibus fanguine junctus, & habebunt, cur ament istum cives; Sit virtute rerumque gestarum gloria inclytus, & erit, quid timorem incutere Reip. hostibus queat. Et hæc omnia cum apprime in SERENISSIMUM, POTENSISSIMUMQUE hodie POLONIARUM REGEM quadrent, facere non possumus, quin maximopere sanioribus Polonis omnibus felicitatem hanc temporum, reparationemq; seculi gratulemur. TIBI vero, AUGUSTIS-SIME REX, veteri formula, Vitam longævam & tranquillam, Senatum fidelem, Populum probum, Exercitus fortes, uno omnes ore ad *Sacratissimæ Majestatis Tuae* Pedes advoluti comprecamur.

## XII.

Sed ad alia Indigenatus Polonici jura, eaque publica deproperandum nunc erit. Nimirum non Regium tantummodo fastigium appetere Indigenæ possunt, sed solis ipsis ad Dignitates cæteras, tum Ecclesiasticas, tum Seculares, (quod supra jam monuimus,) aditus conceditur. Hinc Archiepiscopi, Episcopi, Palatini, Castellani, Magistratus sc. majores Ordinis Senatorii; ut & Magistratus singulorum districtuum, ut Succammerarii, Capitanei Judices, Subjudices, Notarii que Terrestres & Castrenses, imo etiam Vice-Palatini & Vice-Capitanei &c. soli & uni isti evadunt.

## XII.

Equidem quod *Særa Ecclesiæ munia* concernit, ea & ple-

plebejis quondam tradebantur, eo maxime tempore, quo plerique Episcoporum à Pontificibus Romanis ex Italia aliisque Regionibus mittebantur 1.) Sed postea mos ille extraneos recipiendi exolevit, solisque Nobilibus Poloniae concessa fuit Infula. Ipsæ Abbatia & Canonicatus, Dignitates multum iis inferiores, crescente sub imperio Jagellonidarum Nobilitatis libertate, plebejis tandem ademptæ sunt. 2.) Excipitur tamen ex Constitutione Johannis Alberti, certus Canonicatum numerus, qui non nisi Theologiæ, Juris & Medicinæ Doctores conferuntur, ut habeant dictarum Facultatum Doctores & Lectores. Confirmarunt statutum illud Alexander, 3.) Sigismundus I. 4.) Sigismundus Augustus, 5.) Sigismundus III. 6.) Poloniae Reges.

1. *Stanisl. Lubieski in Vit. Episc. Ploceus.*

2. *v. Constit. ad An. 1496.*

3. *Constitut. ad An. 1505.*

4. *Constitut. ad An. 1510. it. 1538.*

5. *Constit. ad An. 1550.*

6. *Constitut. ad An. 1607. tit. 21. p. 835. seq. it. ad An. 1633. p. 25. An 1638. p. 35.*

#### XIV.

*Seculares Dignitates* multo minus homini plebejo, hodiernis quidem moribus, permittuntur, licet exempla afferri in medium possint, quod Thesaurarii quondam, imo Cancellarii Officia homines ignobili stirpe orti sustinuerint. 1.) Præsenti certe tempore, si duos illos Scabinos Terrestres ex Civitate Thourunensi excipias, præter Nobiles, publico Reip. edicto 2.) omnes alii ab aditu ad id genus munia prohibentur. Imo nulli Procuratori s. Causæ Patrono ex plebe, ut causas agat  
in



in judiciis terrestribus & summi Tribunalis (nam in judiciis, quæ vocantur post curiam, res aliter sese habet) conceditur, uti ex Matthia Dobraki *Hartknochius* id annotavit. 3.)

1. *Neugebauerus Lib. III. Histor. Pol. p. 208.*

*Idem Lib. IV. in Ludov. Hung. p. 221.*

1. *Constitut. An. 1550. p. 7.*

3. *Lib. II. c. 5. p. 605.*

## XV.

Hoc unum igitur privilegium si vocaveris, quod scilicet ad Dignitates soli Indigenæ adspirent, multas alias prærogativas, jusque illud in medium consulendi, comprobandi, improbandi, contradicendi &c. unâ complecteris. Id enim in subeundis publicis negotiis Senatui Poloniæ, imo si ad Comititia Comitiolaque præcedentia respicias, omnibus universim Indigenis atque Nobilibus competit. His non adhibitis in consilium, non bellum indici, non pax sanciri, non fœdera pangi, non mitti in aulas exterorum Principum Oratores solent. Ipsa Comititia vel uni Nobilium cum protestatione dilabente, dissolvi ex tempore, rebusque infectis dimitti concionem usu hic receptum est; quam licentiam *Libertatis Polonicæ animam* isti dicunt. Aliis certe moribus prisca Polonorum gaudebant, quod nec ipsi Gentis istius Scriptores diffitentur. *Fuit, Cromerus ait, initio liberior Dominatus Princeipis & nullis propemodum legibus adstrictus, infinitam non modo omnium rerum, sed etiam vitæ necisque potestatem omnium habens. Post susceptam vero Religionem Christianam temperari ea cœpit, partim piis monitis & doctrina Episcoporum & Sacerdotum, ac populorum ceterorum Christianorum imitatione & moribus; deinde bellatricis Nobilitatis meritis & obsequiis, fortassis etiam contentionibus multa de jure*

D

suo

*suo remittentibus & indulgentibus Equestri Ordini Regibus. 1.)*

*1. Crom. Lib. II. de Republ.*

### XVI.

Reduci huc posset exinxiu illud Polonicæ Nobilitatis jus, quod eain Comitibus Electionis Regem suis sibi suffragiis legat. Et in campo quidē electorali non per Delegatos Provinciales, sed per semet ipsa agit. Obstat tamen, quo minus de jure isthoc prolixius differamus, quod & non possessionatis Nobilibus in Campo quem diximus Electorali comparere fas sit. Inde sequitur, quod ea prærogativa Indigenis (prout nos quidem vocē hancce accipimus) non propria, sed cum cætera Nobilitate omni communis sit.

### XVII.

A publicis illis Indigenatus prærogativis, & juribus ad *Privata* nunc progredimur. Sicuti autem inter illa spes adeundi Dignitates in Rep. eminebat; ita possessio Bonorum Terrestrium primas hic tenebit partes. Hæc, uti supra jam docuimus, in solos Poloniæ Nobiles cadit, ita ut vel integræ civitates ab eorum acquisitione lege publica abstinere jubeantur. Inde in Comitibus 1685. habitis Terrestres quidam Nuntii Majoris Poloniæ urbem quod duos sibi pagos comparaverat, maxime inspectati sunt, rogaruntque Regem, ut pagi illi pro vacantibus declararentur. 1.) Excipiuntur tamen majores Prussiæ civitates, in quibus privatis etiam civibus bona possidere Terrestria licet. Extat enim caput in Constitutionibus Prussicis, à Sigismundo Seniore latis, quod ita habet: *Civibus bona terrestria, & Nobilibus civilia bona liberum sit deinceps emere; ita tamen, ut ad paria onera utrinque ferenda sint obligati: ut scilicet cives ratione bonorum terrestrium omnia Nobilitatis onera æquis passibus ferant. 2.)*

*1. Diarium Comit. ad d. 28. Martii An. 1538.*

*2. Jura*

### XVIII.

In bonorum terrestrium possessione id præ aliis observatu dignum, quod Domini eorum, Indigenæ sc. Poloni absolutum in subjectos sibi rusticos s. Kmetones imperium, quin & ipsum vitæ necisque jus habeant. *Quisque ex nobis, inquit Fredro, sui vulgi & suorum bonorum parvus quodammodo & absolutus monarcha est.* 1.) Facile vero conjicere hinc licebit, quam misera agrestium in his terris, conditio sit. Nam licet inter ipsos Reges inventi fuerint, qui consultum per leges ire fervili turbæ voluerunt 2.) (qua de causa Casimirus M. Rusticorum Rex appellatus, 3.) beneficii tamen illius vix ullum hodie vestigium superest. Ast locum omnino Warsewicii verba inveniunt, qui ita de rusticis Polonis pronuntiat: *Age vero colonorum oppressionem, graves & quotidianos à Dominis laxiatus. Vitam hi inopem & miseram ducunt, sine foro, sine judice, sine lege, addam & sine Rege & religione aliquando, cum pecudum more etiam diebus sacris laborare cogantur.* 4.)

1. *Fred. in Fragment. Polit. num. XIV. p. 297.*

2. *Herburt. de Fulst. Statut. Regn. sub Tit. Kmetho. p. 252. seq.*

3. *Pistorii Corp. Scriptor. Polon. Tom. I. p. 119.*

4. *Warsewic. de optim. Stat. libertat. p. 118.*

### XIX.

Eadem illa Bona, si quando improlis possessor decedit, Rex jure caducitatis non potest alteri conferre, si Cognati usque ad gradum octavum inclusive superstites agant, sed hæredibus illis ea cedunt. 1.) Præterea sterilibus Indigenis alienare bona sua ante mortem licet, 2.) si que extraneus quis in bonis Nobilium, nullo relicto hærede, obeat, bona ipsius non fisco publico, sed Domino fundi attribuantur. 3.) Cæterum quamdiu in vivis sunt Nobiles

possessionati, illi jus quoque fodinarum salis & metallorum (quod alibi locorum inter Regalia s. jura Majestatica refertur) in proprio quidem fundo habent. 4.)

1. *Ex Constit. Sigism. III. An. 1588. p. 458.*
2. *Ex Constit. Sigism. August. 1569. v. Szerbic. Part. II. Constit. c. 8. p. 127.*
3. *Ex constit. An. 1588. p. 458.*
4. *Ex Constit. Stephan. R. A. 1576. p. 255. & 377. conf. Statut. Lithuan. in Additament. ad Cap. 3. art. 2.*

## XX.

Tandem privatis Indigenarum juribus id quoque annumerandum: quod domus eorum, siue in agro illas acquisiverint, siue in oppidis vel urbibus; asyli instar habeantur. Hinc facinorosi, si fuga se in istas receperint, arrestari quidem, vi tamen extrahi inde nequaquam possunt. Jure igitur repetendi sunt, quô factô extradi debent, ne si aliter eveniat, publica turbetur tranquillitas & sceleratissimis hominibus paratum sit refugium. 1.)

1. *Constitut. An. 1588. p. 466. & 1611. p. 24. conf. Stat. Lithuan. c. 3. Art. 49.*

## XXI.

Restat ut de Malorum remotione s. Exemptione ab Oneribus, qua Indigenæ Poloni maxime gaudent, quantum quidem chartarum angustia permittunt, dicamus. Eximuntur vero variis illi oneribus, quorum alia ipsas Indigenarum personas, alia istorum bona, sed alia eorum subditos concernunt.

## XXII.

Ipsi Indigenæ siue Principum, siue Comitum, seu denique Nobilium in specie sic dictorum titulis utantur, rei cujusdam criminis, neque à judice quopiam, neque ab ipso Rege prehendi, captivari, aut bona eorum fisco addici possunt,

possunt, nisi citati prius fuerint & jure convicti. 1.) Deinde ad privati alicujus delationem, si vel maxime perduellionis crimen, aut patriæ proditio objiciatur alicui, nisi actor sit certus, nemo Nobilium indigenarum potest puniri 2.) Porro si proscriptus aut capitis reus fuerit captus, à Magistratu aliquo non potest supplicio affici sine Regia informatione, qua de re *Piascius* prolixè agit. 3.) Tandem exiguâ sane pœnâ homicidium Poloni isti luunt. Ita enim super hac re Casimirus M. constituit: *Quamvis occidens hominem secundum Dei & Legum sanctiones esset capitali pœna plectendus; Nos tamen rigorem illum temperantes statuimus, quod occidens militem (h. e. Nobilem) triginta marcas parentibus, pueris vel amicis solvere teneatur.* Aucta tamen hæc mulctâ temporum intervallo fuit & 1581. sancitum, ut, si nobilis plebejum interficiat, itidem 30. Marcas homicida solvat, quarum 15. Marcæ Domino interfecti, & 15. uxori liberisque occisi dentur. 4.)

1. *Ex Constitut Casimir. Jagell. A. 1454. ap. Herburt. in statut. p. 279.*

*& Paul Szerbic. Part. II. Constit. c. 8. p. 227.*

2. *Statut. Lithuan. c. I. Art. 2.*

3. *Piassec. Chronic. p. 16.*

4. *Constitut. ejus anni. p. 372.*

### XXIII.

Pergimus ad onerum exemptionem Bona Indigenarum spectantem, quæ quidem in eo consistit, quod tributum *Poradlne* dictum hodie non pendant, idque indultu Ludovici Hungari, 1.) Sigismundi II. 2.) aliorumque; Quod nulla de armentis, frumentis cæterisque rebus, quas venum exponendas in alia loca avehunt, telonia aut vectigalia solvant; 3.) Quod libera sint eorum Bona à stationibus militum, sub pœna infamiæ, si quis legem eam transgredi audeat. 4.) Imo Rex ipse in itinere apud Nobiles nullas stationes se habiturum lege lata promisit. 5.)

1. *Januszov Lib. IV. Privilegior. it. Neugebauer. Lib. III. Histor.*

*Pol. p. 204.*

2. Januszow Lib. IV. Constitut. Pol. p. 319. seq.
3. Constitut. presert. An. 1569. 1576. 1587. 1588. seq.
4. Ex Constit. Sigismundi III. An. 1588. p. 480. it. Johan. Casimiri. An. 1650. &c.
5. Const. An. 1374. & 1433. Herb. in Statut. Tit. Stationes p. 466. &c.

#### XXIV.

Supersunt Immunitates Indigenarum subditis concessæ. Non enim Nobiles solum à vectigalibus liberi sunt, sed etiam ii, qui ipsos agnoscunt Dominos, ita ut neque telonia, neque foralia, cum propriis rebus iter facientes pendant. 1.) Eadem privilegia, & majora forte Prussiæ concessa sunt, ubi nec nobiles nec plebeji, si in Polonia boves vel equos &c. coemant, aut tale quid in regnum istud deducant, coguntur vectigalia solvere 2.) Notandum tamen, quod, si qua necessitas Remp. urgeat, unanimi consensu Ordinum, in Comitibus Generalibus, ad certum tempus id genus vectigalia imperentur, cui oneri neque Nobiles indigenæ, neque subditi eorum subducere se ulla ratione possunt. 3.)

1. Constit. An. 1550. p. 3.

2. Constit. An. 1587. p. 375.

3. Constit. An. 1629. p. 18. it. An. 1631. p. 14. Tit. Evecta.

#### XXV.

Egimus hætenus de juribus eis s. privilegiis, quæ cadunt in Polonos Indigenas generatim: ast peculiarem meretur observationem, quod præstet, *Natum esse indigenam, quam quidem Naturalisatione admissum.* Nam hodiernis moribus recens creati Nobiles ad Dignitates atque Magistratus non evehuntur usque ad tertiam progeniem, neque legationes novi isti homines obire possunt. 1.) Præterea accidere sæpe solet, ut novis illis Indigenis novæ & peculiare imponantur contributiones, præter ordinarias illas, quas in comitiis communi ordinum consensu in Declarationibus Palatinatum promissas pendit  
anti-

antiqua Nobilitas. 2.) Hoc non obstante recens quoque  
admissi Nobiles ob meritorum in Remp. magnitudinem  
capaces sæpe omnium munerum & Magistratum fiunt.  
3.) vel successu minimum temporis (ab aliis m. Proceribus  
in Familias adoptati, eorumque gentilitiis armis ornati)  
beneficiorum supra recensitorum omnium participes  
redduntur.

1. *Pacta Convent. Johannis III.*

2. *Universales de A. 1613. it. 1620. &c.*

3. *Constit. A. 1676. p. 59. seq.*

## XXVI.

Quod reliquum est, paucissimis expediemus: Quæ-  
ritur enim: à quonam Indigenatus Polonici jura conferantur?  
Respondemus: ea haud dubie à Regibus indulgeri, sed  
non nisi Ordinum in Comitibus congregatorum approba-  
tione accedente. Imo cum satis antea esset, Indigena-  
tum in ipsis Comitibus Generalibus à Rege & Ordinibus  
petere; constituit Sigismundus III. ne quis in posterum  
eum acciperet, nisi in præcedentibus Comitibus eundem  
expetierit, eoque rem perduxerit, ut in ipsis Generalibus  
Comitibus à nunciis terrestribus commendetur. 1.) Sic in  
Prussia observatum perpetuo legimus, ut nemini ista-  
rum terrarum Indigenatus concederetur, nisi qui eum  
in Conventu Generali Statuum Prussiae Regiae ab Ordini-  
bus petierit. 2.)

1. *Constit. A. 1601. p. 748. it. A. 1617. p. 11.*

2. *v. Privileg. Incorp. 1454.*

## XXVII.

Sed telam hic abrumpimus, ea, quæ ad aliam spe-  
ctant cathedram, his illibata servantes, qui ex jurium prin-  
cipiis conclusiones istas derivant. Si qua in relapsi fueri-  
mus, facilem ob Ingenuo Lectore veniam speramus, cum  
ipsum argumentum, quod tam arctis circumscribi fini-  
bus nequit, nobis patrocinetur.

S. D. G.

QK 11K  
5310

COROLLARIA.

- I. Falsò traditur: Poloniam confusione regi.
  - II. Errat *Tacitus*, quando de abstinentia judæorum ab exterarum concubitu agens: Nihil iis inter se illicitum dicit.
  - III. Veterum potissimum legibus nemo indigena fuit, nisi ex utroque Parente Cive procreatus.
  - IV. Philologiæ Studiosi non veterem modo, sed recentiore[m] quoque historiam evoluere necesse habent.
- 

*Nobilissimo Respondenti,*

DN. JOH. FRID. HOMMELIO,

Affini suo honoratissimo,

S. D.

JOH. CHRISTIANUS König/ J. U. D.

**E**Xhibes nobis Dissertationem, cujus materia, uti curiosa est: ita non potest non omnibus esse grata. Tempori hac in parte inserviendum putasti. Cum enim anno abhinc contigerit, ut Electorem nostrum Serenissimum non tantum ut *Electorem Saxonie*, sed etiam ut *REGEM POLONIAE AUGUSTISSIMUM* nobis humillimè venerari jam liceat: placuit tibi talem præ omnibus aliis seligere disputandi materiam, quæ *Statum* concernit *Polonicum*. Nec abs re. Nova enim novam merentur disquisitionem. Eo ipso autem factis probas, qualem te *MEISTERUS* tuus, imò & noster, instituerit. Quo circa laudo tuos ausus, simulq[ue] stimulum tibi addo, ut & imposterum te sic eruditum ostendas, ut spes te pulcherrima foveat, cursu studiorum tuorum confecto, posse nostram, quidni & aliam? Rempublicam in partibus ejus tibi credendis gubernari. Vale. Dabantur Lipsiæ e Museo meo, d. XX. Junii M DC XCVIII.

1017




Q. K. 379, 7.

IN

VIR

M.

339.



II R  
5310

IO  
ATU  
Æ,

ltu,  
CVIII.

ELLENTISSIMO

Meister /  
ol.

eptore  
,  
omittit

ommel /

ini.

2

39

P. 2.

